

Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Sacrementis in Genere, & duobus primis in specie

Bosco, Jean a

Lovanii, 1665

Concl. IX. Adulti sufficienter instructi, si desit justa causa, jure divino Baptismi susceptionem diu differre prohibentur; convenit equidem duo Baptismi solemnis tempora, esti multi adhuc restent ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73340](#)

Sect. 4. De Subject. & prac. Baptis. Concl. 8. 339

113.
S. Augst.
Rom. 10.
10.

Hanc esse mentem D. August. colligo insuper ex his, que habet ibidem c. 22. ibi: *Quantum itaque valeat etiam sine visibili Sacramento Baptismi, quod ait Apostolus: Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem, in illo latrone declaratum est; sed tunc impletur invisibiliter, cum mysterium Baptismi non contempnit religionis, sed articulus necessitatis excludit.*

Nam multo magis in Cornelio & amicis eius, quam in latrone (cum Christo crucifixo) posset videri superfluum ut aqua etiam tingerentur, in quibus iam donum spiritus sancti, quod non nisi baptizatos alios accepisse sancta Scriptura testatur, certo quoque indicio, quod illis temporibus congruebat, cum linguis loquerentur, enumerat; Baptizati sunt tamen, & in hoc facto apostolica extat auctoritas, baptizandi scilicet eos, quos ante Baptismum confit accepisse Spiritum sanctum per Baptismum Flaminis. Usque adeo nemo debet in quolibet proiectu interioris hominis, si forte ante Baptismum Fluminis usque ad spiritalem intellectum pio corde proficerit, contemnere Sacramentum, quod ministerorum opere corporaliter adhibetur, sed per hoc Deus hominius consecrationem spiritaliter operatur, dans fidei, pei & charitatem augmentum, sicut scriptum est: *Qui iustus est iustificetur adhuc. Apoc. ult. v. 11.*

Et inquirens rationem, ob quam Joanni fuerit attributum myous baptizandi, inquit: *Vi Dominus ipse qui dederat, cum servi Baptismum non sperasset accipere, dedicaret humilitatis viam, & quanti pendendum esset suum Baptisma, quo ipse baptizatus erat, tali facto apertissimum medicus salutis aeternae, quorundam non defaturum tumorem, qui cum intellectu veritatis, & probabilibus moribus ita proficerent, ut multis baptizatis vita, atque doctrina se preponere minime dubitarent, supervacaneum sibi esse credentes baptizari, quando ad illum mentis habitum se pervenisse credent, ad quem multi baptizati adhuc ascendere conantur.*

Quis ergo credit August negasse omnibus Catechumenis ante realem susceptionem Baptismi Fluminis gratiam justificantem? Sane Cornelium fuisse iustum non posset clarius docere, quam docuit c. 24. illis verbis: *Veraciter conjugere possimus, quid valeat in parvulis Baptismi Sacramentum, ex circumcisione carnis, quam prior populus accepit, quam priusquam acciperet, iustificatus est Abraham, utique interna Spiritus sancti gratia, sicut Cornelius etiam dono Spiritus sancti priusquam baptizaretur dictatus est.*

Et paucis interpositis: *Sicut ergo in Abraham praecepsit fidei iustitia, & accepit circum-*

cisio signaculum iustitiae fidei, ita in Cornelio praecepsit sanctificatio spiritalis in dono Spiritus sancti, & accepit Sacramentum regenerationis in larvato Baptismi.

Porrò ex his omnibus sic concludit c. 25. *Qualis rebus omnibus ostenditur aliud esse Sacramentum Baptismi, aliud conversionem cordis, sed salutem hominis ex utroque complevit; nec si unum horum defuerit, ideo putare debeamus conseqüens esse, ut & alterum de sit, quia & illud sine isto potest esse in infante, & hoc sine illo potest esse in latrone, completa Deo sine in illo, sive in isto, quod non ex voluntate defuerit. Cum vero ex voluntate alterum horum defuerit, restat hominem involvi, & Baptismus quidem potest inesse ubi conversio cordis defuerit, Conversio autem cordis potest quidem inesse non percepto Baptismo, sed contempto Baptismo non potest. Neque enim ullo modo dicenda est conversio cordis ad Deum, cum Dei Sacramentum contemnitur.*

Atque hoc solum voluit, quando supra c. 22. dixit, conversionem cordis justificare, cum ministerium Baptismi non contempsit religionem, sed articulus necessitatis excludit; non quasi perfecta Dei dilectio super omnia, aut contrito charitate perfecta extra necessitatem non justificet, sed quoniam illa haberet non potest; ubi adeo contemptus Sacramenti necessarij ex jure divino positivo, quod verissimum est.

Necessarij, dico, ex iure divino positivo. Quæris unde id sciam? Jam edisse.

114.

Quia justifica-
tio ha-
beri non
potest con-
tempno Be-
neplacito.

CONCLUSIO IX.

Adulti sufficienter instructi, si defit justa causa, jure divino Baptismi susceptionem diu differre prohibentur; convenit equidem duo Baptismi solemnis tempora, et si multi adhuc restent menses, exspectari.

Dicit antea quam baptizaretur fuerit iusti- ficiatus: Ari aliquod praeceptum Baptismi di- vinum positivum generaliter obli- gans omnes adulti qualitercumque ante Baptismum justificatos, diximus in fine præ- cedentis sectionis, & ad minus probani ha- Scriptura Joan. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit &c. Matth. ult. v. 19. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos &c. Mar. ult. v. 15. Euntes in mundum universam prædictate Euangelium omni-*

115.
Cuius præ-
ceptum
obligat om-
nes adultos
etiam ante
justificatos.

Joan. 3.
Matt. ult.
Mar. ult.

V u 2

Disputatio 2. De Baptismo.

340

omni creature. Additur v. 16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit salvis erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.

Objecio
solvitur.

Nec obstat quod non dicatur, vel baptizatus fuerit; tum quia hoc satis exprimitur in verbis Christi Joannis 3. Non potest intrare in regnum Dei: tum maxime, quia voluit Christus in illo loco significare longe diversam esse necessitatem fidei, & Baptismatis; quippe sine reali actu fidei supernaturalis impossibile est adultum placere Deo; possibile autem absque Baptismo reilater lucepto, ut mox ostendimus, per Baptismum in voto.

Sed, inquis, quidni etiam sufficiat fides in voto? Respondeo nullus datur actus supernaturalis in quo fides virtualiter continetur, cum ipso sit primus actus & fundamentum ceterorum, juxta illud Trident. sess 6. c. 8. Fides est humana salutis initium, fundamentum & radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum eius coniunctionem pervenire. Sed de necessitate fidei in proprio tractatu.

Ceterè frustra daretur Apostolis particularis potestas predicandi Euangelium, & baptizandi, si illi qui praecipi capaces sunt non tenerent fidem, vel Baptismum suscipere. Quis dubitat Apostolos Actorum 2. & 3. baptizasse eos, qui prius per Circumcisioem, aut aliud remedium erant iustificati? Quare, nisi quia obligabantur ad Christianismum & ingressum Ecclesie, cuius janua est Baptismus; quemadmodum Circumcisio janua erat veteris legis, obligans etiam adultos alio remedio regeneratos?

Et cui quædo prius omnium legitur Christus necessitatem Baptismi aperuisse? Nonne Nicodemo Principi Iudeorum? Quibus verbis? Amen amen dico tibi, Joannis 3. v. 3. nisi quis renatus fuerit deus, non potest videre regnum Dei. Indubio renatus erat Nicodemus per Sacramentum Circumcisiois, vel aliud remedium legis naturæ, & tamen a Christo audivit, nisi de quo resaceretur per Baptismum post Euangelium promulgatum non visurum se regnum Dei.

Nescis quod ex illis verbis Joannis 20. v. 22. & 23. Accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt, quibus Christus instituit Sacramentum Pœnitentia, universalis Ecclesia semper intellexerit integrum peccatorum confessionem omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam existere? Sed cur hoc? Quia qui habet potestatem ligandi peccatorem & excludendi

à regno cælorum, liquet profectò quod sit Iudex necessarius; utpote qui per negationem venia relinquit peccatorem excludunt.

Et ideo dicitur Confessarius accepisse claves cæli, quando enim alicui dantur claves domus clausæ, recursus ad ipsum sit medium necessarium, ut aliquis domum illam ingrediatur. Ergo similiter cum scriptum sit: *Nisi quis renatus fuerit deus, non potest videre regnum Dei;* non potest intrare in regnum Dei, liquet profectò ministerium Baptismi esse necessarium vel ad deleriem peccati originalis, quod occludit ingressum cæli, etiam parvulis, vel certè ad evitandum peccatum mortale actualē, quod adulteris, etiam præviè à peccato originali liberatis, mortem animæ adserit præsentem & sempiternam.

Hanc veritatem Catholicam quam vindicatur Trident. definitissimè sess 7. de Sacramento Baptismi can. 5. Si qui dixerit Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem; anathema sit: hanc, inquam, necessitatem ante Concil. expeditissimè tradidit Doctor Subtilis q. dist. 4. q. 6. n. 2. Respondeo dicendum quod post Baptismum promulgatum per in dium praecipi, quilibet quod libentercumque iustificatur, qui non implerat illud praecipuum, cum quo Deus non dispensavit peccati culpatem, ut non teneretus ad illud, tenet ad Baptismum affectum, & pro loco & tempore effectu, si manet viator nobiscum, quoniamque pacem commode recipere in effectu.

Ratio fundamentalis est: Quia lex unius veritatis promulgata omnes obligat (universaliter dico illam promulgari, in cuius promulgatione non est aliqua exceptio persona, sive causamcumque exceptio persona vel circumscripicio circumstantia) tale fuit praecipuum de Baptismo suscipiendo. Rationes congruencias

Prima; Quia congruum fuit omnes de lege Christiana habere unum signum, in quo convenirent inter se, & distinguerentur ab aliis... maxime illud signum, per quod ingredientur observantiam huius legis: per eius enim suspicionem adscribuntur illi legi, & dicuntur de fætuo Christi.

Secunda; Quia quilibet viator tenet esse membrum Ecclesiæ militantis; non tantum conscientia divina, sed etiam quantum ad notitiam aliorum membrorum, quantum in se est: quia tenetur cum alijs membris communicare in his, qua perirent ad observantiam legis, & ess non scandalizare. Si autem non accepit Sacramentum, per quod si membrum Ecclesiæ secundum iudicium Ecclesiæ, non esset aptus ad communionem cum alijs membris in multis difficultatebus ad Ecclesiæ, (puta, in sollicitatione

Replica
solvitur.

Trident.

116.
Gloriendatur
præceptum
Baptismi
primum ex
particulari
potestate
data Apo-
stoli.

Secundū ex
Scriptura
Joan. 3.

117.
Joan. 20.

tione cæterorum Sacramentorum) scandalizaret etiam active alia membra, que habent occasionem indicandi ipsum contemnere communatem.

Tertia; Quia qui potest ex actu facili magnam gratiam acquirere, si negligat illum actum, videtur gratiam contemnere, vel saltem eam non ita appetiri, quantum est appetitabilis: sed ille qui non est baptizatus, quantumcumque alter sit iustificatus, per actum facilem, scilicet per iunctionem Baptismi, potest magnum gratiam acquirere; quia quantumcumque perfectio de lege communis accedit ad Baptismum, auguet gratia: ergo si negligat videtur contemnere gratiam, & dat alijs occasionem sic indicandi.

^{120.} Cui præcep-
tum latissi-
cerunt D.
Virgo &
Apostoli,

Objicit sibi Primus: quia non legitur de Apostolis, nec de B. Virgine, quod fuerint baptizati. Respondebat n. 3. probabile esse quod Apostoli fuerint baptizati: Quia Christus, inquit, fecit eos sacerdotes, conservens eis in cena potestatem conficiendi corpus Christi dicens, Quotiescumque &c. Et conservens eis post resurrectionem potestatem absolvendi Ioannis 20. Quorum remiseritis &c. Constat ei etiam officium baptizandi solemniter Matth. ult. Eentes baptizate &c. Ordo autem Sacerdotij supponit Baptismum, saltem de congruo, Extra. de Presb. non baptizato. & Veneris.

Ubi Innoc. III. decernit juxta decreta Concilii apud Compendium celebrati, Presbyterum non baptizatum esse recordandum post Baptismum ritè suscepimus, cum ut præmititur, Baptismus sit fundamen- tum omnium Sacramentorum, &c., ubi fundamentum non est, superadiscari non potest. Sic, inquam, decernit non obstante quod aliquibus contrarium videtur propter hanc rationem:

Nam cum quis non solum per Sacramentum fidei, sed per fidem etiam Sacramenti efficiatur procul dubio membrum Christi (invincibile) & qui Christum habet per fidem, etiam Baptismum non habet, habet utique fundamen- tum praeter quod aliud ponit non potest. quod est Christus Iesus: superadiscere posse videtur, sicut salutifera opera sic & quelibet Ecclesiastica Sacra- menta. Quæ ratio facilè solvit atten- tivitatem Ecclesie Christi, ad quam indu- biè requiritur visibilitas membrorum per externam professionem fidei, quæ sit in Baptismo.

Porrò cetera Sacra- menta specialiter à Christo instituta sunt, ut renatis fonte Bap- tismatis, una sit pietas externa actionum, quibus à ceteris fidelibus seu infidelibus distinguantur. Unde definitur Ecclesia: Cœtus hominum Christianæ fidei profes-

sione in Baptismate, & cæterorum Sacra- mентorum participatione, sub uno legiti- mo Pastore coadunatorum. At verò opera salutifera, sicut ante Ecclesiam Christi communia erant, & proderant quibuscumque fidelibus iustis, ita eamdem utilitatem retincent post ejus institutionem.

Cæterum, Baptismum Apostolorum probabiliter docuit D. Aug. Epist. 108. vi- de l. & 1. hujus disp. conclus. 1. ubi ha- bes eis verba. Euthymius in c. 3. Ioannis sic inquit: scribunt quidam Apostolorum tem- poribus proximi, quod Christus Petrum, & Vir- ginem Mariam baptizavit: Petrus vero reli- quos Apostolos.

Nicéphorus Calixtus lib. 2. Hist. c. 3. alijs verbis proponit di- cens: Divinus Evodus, & ipse Apostolorum successor fuit, in Commentarij suis, præcipue autem in Epistola, quam Lumen inscripta, hec quoque posuit: Christus, inquiens, manib[us] ipse suis Petrum tantummodo baptizavit, Petrus por- rò Andream, & filios Zebedaei; ij demecps reli- quos Apostolos &c. Sed non sunt convenien- tia testimonia eorum, quoniam quod unum asserit, alterum negat.

Ut ut sit, potuit Christus per specialem dispensationem velle illos assumere sine Ba- ptismo in familiam suam, & constituere Principes sua Ecclesia; sicut etiam eos confirmavit per visibilem descensum Spi- ri- tū sancti in linguis igneis. An autem dispensaverit non legitur.

Scotus supra ait: Nec videtur necessitas, quod Christus cum Apostolis in hoc dispensaverit: quia nulla videtur ratio dispensandi, nec aliqua necessitas, vel utilitas consecuta; cum nec ipsi essent gratiores Dei per hoc quod non baptizati, nec sufficiens Doctores in Ecclesia. Im- videtur quod minus efficaces, quia minus valet Magister moralis, qui non vult opere completere, quod docet, secundum Gregorium. Christus etiam in seipso voluit Baptismum suscipere, sal- tem Ioannis, antequam legem Baptisiæ alijs imponeret, quia Act. 1. dicunt; Capit Iesus facere, & docere.

Magis dubitat Doctor an non dispen- saverit Christus cum B. Virgine. Consi- liter, inquit, supponendum est de B. Virgine, quod scribit Baptizata: nisi forte ipsa sit ex- cepta ab illa lege, & de ea fuisse ratio dispen- sandi: quia forte habuit in conceptione filii sui illam plenitudinem gratia, ad quam Deus dis- poniit eam pervenire.

Objicit Secundus; baptizatus Baptismo. Sanguinis non tenetur ad Baptismum Flu- minis; ergo nec baptizatus Baptismo Fla- minis.

Respondebat n. 4. negando antecedens, V u 3

121.
Baptismum
Apostolo-
rum docue-
runt Pares,
S. Augst.
Euthymius.

Nicéphorus
Calixtus.

122.

Ab hac
obligatione
non libera-
tur Baptiza-
tus Baptis-
mo sangu-
inis.

342 Disputatio 2. De Baptismo.

Si postea est nobiscum viator.... hoc autem quod supponitur est bene posibile, sicut de quibusdam legitur, quod sunt facti bis confessores, quia sustinuerunt bis penas pro fide; propter quas tamen non sunt mortui, Deus per miraculum mortem impediens. Si autem Baptismus Sanguinis sit compleatus ultimo extremitate complemento, quia sic baptizatum moritur, & non remanet nobiscum viator, non est obligatus ad praeceptum viatoris: Sacramenta autem non habent locum nisi prostatu vie.

123.
Neque fru-
stra suscipit
antea iusti-
ficatus,

Objicit Tercius; nullus tenetur recipere Sacramentum frustra, quia in operibus Dei nihil est frustra; sed Baptismus à justificato frustra accipitur, cùm non habeat effectum, qui est ablutione animæ à peccato; jam enim prius est ablutus.

Respondet supra negando Minorem: *Quia gratia ibi augetur, nisi pervenerit ad terminum: & si forte prius pervenerit, additur ibi meritum obediendo præcepto divino: nec etiam est frustra post plenitudinem gratiae, si quis eam habueret, addere opera meritoria, juxta illud Christi Matth. 5. v. 16. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificant patrem vestrum, qui in celis est.*

124.

Objicit Quartus & ultimus: Injuria est Sacramento, facere quantum in se est, quod ipsum sit signum falsum; sed talis suscipiens facit hoc; quia caret tunc signato; quia tunc non dat gratiam; ergo &c.

Neque ip-
sum falsi-
cat Sacra-
mentum,

Respondet supra negando Minorem: *Quia vel ibi confertur gratia aliqua, & tunc est signum practicum verum: vel nulla, si iam prius erat gratia perfecta, & tunc est signum verum practicum, non respectu eius quod est gratia in fieri, sed in esse; hoc est, ut loquiatur 4. dist. 1. q. 6. n. 12. Quia gratiam significaret vel tunc fieri, vel prius datum tunc inesse.*

125.

Sed instat: Saltem non habet secum significatum, scilicet ablutionem à peccato.

Respondet: *Quod illa ablutione significatur, vel tunc in fieri, vel tamquam que nunc insit, vel tamquam insinenda quantum est ex parte Sacramenti, si scilicet aliquid insit, à quo anima esset abluenda. Igitur ex mente Doctoris Subtilis verificatur forma Baptismatis in eo, qui non habet, nec umquam habuit peccatum originale, aut actualē.*

Conferatur ex Baptismo adulti peccatoris valido, sed informi, qui non significat remissionem in facto, vel in fieri aliquius peccati; nam caret effectu gratiae, per quam solam ex præsenti Dei ordinatione remittitur peccatum.

*Sicuti verifi-
catur in
homine fi-
cto vel ha-
eretico,*

Si ergo forma Baptismi vera est in homine ficto, aut heretico, quamvis pro nunc sit incapax gratiae, & per consequens re-

missionis peccatorum, quæ est principalis eius effectus; quanto magis verificabitur in eo, qui capax est gratiae, vel certè incapax, quia pervenit ad terminum, & nullum habuit peccatum, vel si habuit jam remissum est, atque ideo pro nunc incapax remissionis peccatorum; capax tamen omnium aliorum effectuum, ratione quorum vera est significatio formæ Baptismatis in heretico, aut ficto?

Atque hac ratione B. Virgo, quæ cauit peccato originali, & libera fuit ab omni actuali, per Baptismum accepisset chara-
terem animæ impressum; nec non secundum multorum opinionem, gratiam, etiam habitualem; incorporata fuisse Ecclesia visibili; adimplivisset præceptum; ac deinde redita fuisse capax aliorum Sacra-
mentorum.

Profectò si absolvitur forma à conferenda gratia, absolvitur etiam à connotatione, ac significacione peccati, quod solum connotat in quantum illud remittit actu per collationem gratiae, quæ sola, ut dixi, ha-
bet annexam remissionem peccati, ejusque connotationem per modum termini à quo. Atqui certum est Baptismum non semper prædictæ significare saltem primam gratiam, ut pater in justificari per Baptismum in voto; ergo &c.

Si autem à me quæritur quæ sit ergo essentialis significatio formæ Baptismatis? Respondeo duplicem habere significacionem, unam speculativam ex institutione humana, quæ resertur ad ablutionem corporis, quæ in unoquoque habet locum, & nullatenus respicit peccatum esse, aut fuississe, vel remissionem ejus in effectu, aut virtute; cùm ad alios fines, puta voluntatis munditiae, aut salutis corporalis frequens sit usus balneorum.

Altera significatio est prædicta ex divina institutione, quæ instar signi sacramentalis quantum est ex parte sua confortat remissionem peccati, adeoque remissionem omnis peccati omnibus non ponentibus obicem, id est, subiecto capaci; gratiam, inquam, ejusdem speciei physicæ cum illa, que con-
fertur per Sacramentum Eucharistie; sicut ergo hæc non connotat peccatum esse, vel fuisse in communicante, ita nec illa in eo, qui baptizatur.

Baptismus quidem institutus est princi-
paliter in remissionem peccatorum, secun-
dum illud Symboli & Concilij Constan-
tinopolitanæ: *Confiteor unum Baptismum in re-
missionem peccatorum; sed non totaliter, quia sed et
præter gratiam sanctificantem, per quam
remittitur peccata, si qua inventis subiecto effici-
tua*

non remissa, insuper animæ imprimat characterem indelebilem, quo sit membrum Ecclesie visibilis, capax cæterorum Sacramentorum.

128. Joannes in quo Baptizabat? Nonne in aqua in penitentiam? Ego, inquit apud Matth. 3. v. 11. Baptizo vos in aqua in penitentiam. Et circumcisio quid significabat? Signum, inquires, erat seederis inter Deum & hominem, & professio Iudaïsmi, & nota distinctiva Judæorum ab alijs Gentibus.

Anne hoc solum? Nonne & remedium fuit peccati originalis? Quid dicit Scriptura Gen. 17. v. 14. Mæsculus cum præputio caro circumcisæ non fuerit, delebitur anima illa de populo suo. Quare? Quia puerum nem in Adamo irritum fecit. Vide disp. 1. sect. 2. cond. 6. Vides, inquit D. Ambrosius lib. 2. in c. 2. Luca cirens medium, omnem legis veteris seriem fuisse typum futuri; nam & Circumcisio purgationem significat delictorum.

S. Bernard. Evidenter, Quem nemo potest, verba sunt D. Bern. ser. 1. de Circum. Domini in principio, arguere de peccato (Christum intelligit) ipse peccati remedium, & verecundam pariter, & auferum fine illa necessitate suscepit. Et infra: Quia peccatum non fecit non dignatus est se peccatore reputari. Ergo Circumcisio signum erat peccati: confirmavit Baptismus Joannis.

Circumcisio non fuit signum falsum in Christo? An propterea signa falsa in Christo? Quis credat? Non habuerunt quidem, nec habere poterant hanc significationem in Christo, sed alias. Circumcisio, inquit Bern. supra, veritatem probat suscepta humanitas, confirmat legem à Christo datam, ostendit Christum esse de genere Abraham, cui promissus est, ut Judæi non haberent excommunicationem.

Si itaque Christus potuit circumcidere, potuit baptizari Baptismate Joannis: quidni B. Virgo, quamvis sine peccato originali concepta, & ab omni peccato actuali libera, in veritate potuit baptizari Baptismo Christi? Senlus igitur formæ sacramentalis est: Ego te corporaliter abiuto; & conservo tibi quantum est ex parte Dei & Sacramenti gratiam remissionis peccatorum, & actualiter remittentem, si peccata infinita, & legitimè diffusis.

129. Dices: ergo malè Concil. Milev. & ex illo Trident. colligunt ex forma Baptismi peccatum originale parvulorum. Hac sunt verba Milevitani c. 2. Item placuit ut quicunque parvulos recentes ab utero matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originali peccati, quod regeneratio

tionis layæro expietur; unde sit consequens, ut in ea forma Baptismatis in remissione peccatorum non vera, sed falsa intelligatur; anathema sit.

Hunc Canonem transcriptit Concil. Trident. paucis additis scilicet, §. in decreto de peccato originali §. 4. & tamen secundum jam dicta forma Baptismatis potest intelligi vera, etiæ parvuli nihil ex Adam traherent originalis peccati.

Respondent aliqui per formam Patres illius Concilij non intellexisse formam essentialia, sed ceremonias Ecclesie, videlicet exorcismum, & alia quæ solent præmitti Baptismo solemnem. Vide dicta disp. 1. sect. 3. conclus. 1. & illa non sunt adhibita in Baptismo B. Virginis, neque præmittentur Baptismo eorum, de quibus certò constateret jam esse justificatos; de facto autem semper adhibentur in Baptismate parvulorum, quia sine speciali revelatione fieri non potest quemquam eorum esse justificatum per extraordinariam Dei prævidentiam; adultorum quoque justificatio regulariter est incerta, propter incertitudinem perfectæ contritionis, aut amoris Dei super omnia.

Sed contra ex D. Aug. lib. 2. de peccato originali c. 40. ubi sic ait: Denique ipsa Ecclesia Sacramenta, que tam presa tradicionis auctoritate concelebrat, ut apostoli (Pelagiani) quamvis in parvulis existimant simulari porci, quam veraciter fieri, non tamen audeant aperta improbatione refutare. Ipsa, inquam, sancta Ecclesia Sacraenta suis indicant parvulos à parte etiam recentissimos per gratiam Christi de diabolico servito liberari. Excepto enim quidem in peccatorum remissionem non fallaci, sed fidei mysterio baptizantur, etiam prius exorcizatur in eis, & exsuffiantur potissimum contraria, cui etiam verbis eorum, à quibus portantur se renuntiare respondent. Ecce aperitè distinguit formam Baptismatis in remissionem peccatorum ab exorcismis, & alijs ceremonijs, quæ solent præmitti Baptismo solemnem. Quapropter

Respondeo Secundò; Concilia loqui non solum de toto ritu accidentalí, sed etiam de ipso Sacramento, seu forma essentiali Baptismi; cuius significatio sacramentalis & practica ex subiecta materia foret falsa, nisi per eam in parvulis fieret remissio peccati originalis.

Explico, & expendo rationem illius decreti, quam ibidem Concil. Milevitane subiungit in hec verba: Quoniam non aliter intelligendum est, quod ait Apostolus Rom. 5. v. 12. Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita

Per formam non solum intellegeat totum ritum accidentalem,

130.

S. August.

131.

Sed etiam formam esentialiam Baptismi

Disputatio 2. De Baptismo.

344

& ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt, nisi quemadmodum Ecclesia Catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei, etiam parvuli qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.

Et Trident.

132.

Quia supponunt omnes seculo privilegio nati in peccato originali.

133.

Item parvulos habere non posse actuale peccatum;

Cuius opus-positum docuit Caelestius

134.

Addit. Concil. Trident. *Nisi enim quis renatus fuerit &c.* Igitur fundamentum totius canonis petitur ex Scriptura, Traditione Ecclesiae, forma baptizandi & necessitate Baptismi.

Supponit autem utrumque Concilium ex Apostolo Rom. 5. accedente Traditione sive communi intellectu Ecclesiae, omnes homines concipi, & nasci in peccato originali, nisi per privilegium quisquam existimat, ut piè creditur de B. Virgine, quam propterea in fine excipit Trident. ab illo decreto dicens: *Declarat tamen hac ipsa sancta Synodus non esse sue intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem &c.* Loquitur ergo non de quibuscumque parvulis, sed de infectis peccato originali.

Supponit Secundò, parvulos non habere peccatum actuale, aut habere posse; quia non habent usum sui arbitrii sive in bonum, sive in malum; ac proinde non posse justificari per Baptismum in voto, hoc est, per actum contritionis aut amoris. Unde fit consequens eos veraciter baptizari in remissionem peccati originalis, contra errorem Cœlestij, qui admittebat parvulos baptizari in remissionem peccatorum; non originalis, quod negabat; sed actualis per propriam voluntatem commissi.

Enimvero cùm ex Traditione Apostolica, & ipso ritu Ecclesiae, forte etiam ex ipsis verbis formæ tunc consuetis, arque Pelagianis (quos ibi Concil. damnat) optimè notis & probatis, constaret parvulos baptizari in remissionem peccatorum, haud dubium quin in remissionem solius originalis.

Et sanè quodd Pelagiani concederint Baptismum conferri parvulis in remissionem peccatorum ad oculum demonstratur ex ipsis Concilijs; anathema enim dicunt illis, qui vel negant parvulos baptizandos (à quo ipsi longè aberant, ut statim patet) aut docent in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati; quæ erat ipsissima Pelagianorum sententia; quod sic ostendo.

Ipsa Cœlestius in libello Romæ edito

(ut refert D. Aug. lib. 2. de Gratia Christi & peccato originali c. 5. & 6.) Infantes, inquit, debere baptizari in remissionem peccatorum, secundum regulam universalis Ecclesie. & secundum Euangelij sententiam confitemur. Sed non idcirco ut peccatum ex tradire firmare videamus; verum ne diversa Baptismatis genera facere videamus; quia (ut intelligit Petavius l. de Pelag. heresi c. 6.) baptizantur eodem Baptismo, quo alii in peccata lapsi, seu Baptismo ex se idoneo ad peccata remittenda.

Accedunt verba D. August. supra c. 17. *Nam neque parvuli negant (Pelagius & Cœlestius) Baptismum Sacramentum, neque ab ipso redemptio Christi aliquibus calorum regna promittunt.*

Sed quomodo redemptio, si nulla omnino culpa aut debitum? Sequentia verba lego apud D. Aug. lib. 1. de Peccat. merit. cap. 34. *Fatentur (Pelagiani) etiam in parvulis per Baptismum remissionem fieri peccatorum.* Nec mirum, non enim redemptio alio modo posset intelligi. Non tamen originaliter, inquit, sed in vita iam propria potequam natum, peccatum habere ceperunt. Et infra:

Proinde isti posteriores intuendo Scripturas, & auctoritatem totius Ecclesie, & formam ipsius Sacramenti, bene viderunt per Baptismum in parvulus peccatorum fieri remissionem, sed ut originalis esset, quidquid illud in eius, vel non videntur dicere, vel videre non possunt. Illi autem priores in ipsa natura humana, que ab omnibus ut consideretur in promptu est, bene viderunt quod scilicet fuit etatem illam in sua iam vita propria nihil peccatis potuisse contrahere, sed ne peccatum originalis fateantur, nullum esse omnino peccatum in parvulus dicunt. Ideoque absolute negant parvulus Baptismum, ne scilicet in eis forma essentialis Baptismatis in remissionem peccatorum falsa intelligatur.

Hanc duplēcē heresim damnat Concil. Milevitani, cui D. August. interfuit, similiiter Concil. Trident. Unde non fuit intentio istorum Conciliorum ex veritate essentialis formæ Baptismatis effaceret concludere peccatum originales in unoquoque subiecto hujus Sacramenti; sed ex veritate formæ in remissionem peccatorum, inferre peccatum originale in parvulus, extraordino medio non justificatis. Virgo autem Beata, et si vere fuerit baptizata eadem formâ, quâ jam parvuli, tamen non in remissionem peccatorum, ut illi.

Arguis rursus; Beata Virgo non fuit capax penitentiae; ergo neque Sacramentum regenerationis. Consequenter probatur, quia Sacramentum penitentiae non magis respicit peccatum actuale post Baptismum confirmat.

commissum, quām Baptismus peccatum originale, aut actuale antea commissum.

Respondeo negando consequentiam, & ejus probationem: nam ut docet Trident. sess. 14. c. 3. Quasi materia Sacra-menti Penitentia sunt ipsius penitentis actus, nempe contrito, confessio & satisfactio. Porro contritio est dolor animi & detestatio de peccato commiso; quod proinde est materia circa quam. At verò materia Baptis-mi non est peccatum originale vel actuale; sed aqua & ablutio corporis, quæ constat nullum dicere ordinem essentiali ad aliquid peccatum; adeoque veraciter ablui potest corpus, cuius anima nullo unquam tempore obnoxia fuit peccato:

dolere autem non potest quisquam de peccato, aut cor sibi peccatum, aut pro peccato satisfacere; & per consequens nec absolutionem à peccato accipere, qui semper ab omni culpa exitit immunis.

Non ergo ideo Penitentia dicit ordinem ad peccatum præteritum, quia instituta est contra peccatum, hoc enim etiam convenit Baptismo; sed ex modo speciali sue institutionis, ratione cuius respicit peccatum, ut materiam, circa quam perficitur ordo judicialis sive judicium, ad cuius normam instituta est, & exercetur potestas ligandi atque solven-di; ideoque requirit peccatum esse, vel fuisse, de quo per se cognoscit: Baptismus autem respicit peccatum tantum ut terminum à quo, si inest; adeoque ex conditione subjecti, non ex conditione materia aut formæ.

Circa quod perficitur ordo judicialis.
Baptismus respicit peccatum ut terminum à quo, si inest subjeeto.

136.

Quæ cùm ita sint, sequitur adultum quantumcumque iustificatum; in periculo mortis constitutum, teneri abque dilatione suscipere Baptismum: quippe cùm semel in vita debet eum recipere, & per illum in Ecclesiam militantem introire, vel tunc saltem obligatur ad ejus susceptionem.

Porro extra periculum mortis, quandoquidem non sit iure divino certum aliquod tempus præfixum, sicut erat Circumcisioni octayus dies, Dicitur. (quorum sensus multum momentu habet in legis di-vina interpretatione) unanimiter statuant primum tempus opportunum post suffi-cientem instructionem, nisi adhuc rationa-bilis causa differendi.

Enimverò cùm quilibet obligetur ali- quando per susceptionem Baptismi in-gredi Ecclesiam Christi, & fieri mem-brum ejus visible, vel tunc obligatur, cùm nulla sit ratio cur potius alio tempo-re intermedio; vel non nisi in articulo

mortis, quod absolum appetet, & con-trarium menti instituentis. Siquidem sta-tus hujus vite est status Ecclesie militan-tis. Quod si omnes differre possent Baptis-mum usque ad mortem, certè vix illa esset Ecclesia militans.

Bene dixit D. Chrysost. in Epistolam ad Heb. homiliâ 13. ad c. 7. & referetur de consec. dist. 4. c. 128. Quando quis pro-pereat peccat, ut sanctum Baptisma in novissi-ma sua expiratione suscipiat, fortassis non adi-piscitur. Et credite mihi: non terrens vos dico, quod dicturus sum. Multos novi, qui hoc passi-sunt, qui spe Baptismatis multa peccabant, circa diem autem mortis discesserunt vacca. Deus enim propter hoc Baptisma tribuit, ut sovrat pecca-ta, non ut addat. Si verò quis ad hoc sititur Baptismus, ut ampliora delinquit, ipsum sit negligenter causa.

Profectò non sufficit in Ecclesia mori, sed oportet in ea vivere: ideo namque Christus instituit Ecclesie Pastores, à quibus homines in Ecclesia regerentur, & dedit eis Sacra-menta iterabilia, quibus continuò paſcerentur: ac proinde fine suo frustrarentur tam Baptismus ipse, quām carera Sacra-menta, quorum non bapti-zatus est incapax, & per Baptismum sit capax.

Itaque (& est ratio a priori) videtur ita à Christo institutum hoc Sacra-mentum, ut cùm primum commode potest suscipi, id est, quando nulla est ratio differendi, suscipiatur; cùm non solum in remissionem peccatorum (ut Penitentia & contritio, que non obligant ad statim) sit institutum; sed etiam ut quisque fidem Catholicam profiteatur; ob quod in ipsa forma invoca-tio SS. Trinitatis continetur.

Quare sicut ex præcepto fidei tene-tur quisque credere quām primū myste-rii fidei sat ispsi sunt propria; sic & eamdem debet exteriū profiteri in hoc Sacra-mento, quo recipitur ad cōcūm à Christo fundatum, ut subditus sit ejus capiti, & capax ceterorum Sacra-men-torum. Corde enim creditur ad iustitiam, ore Rom. 10:13 autem confessio fit ad salutem. Roman. 10: vers. 10.

Cum hac tamen differentia, quod se-pe possit ad aliquod tempus differri illa externa confessio, quæ sit per Sacra-mentum Baptismi, propter varia impe-dimenta occurrantia, de quibus statim; fides autem interna semper obliget hoc ipso quod adeo perfecte motiva credibili-tatis sunt proposta homini, ut non maneat amplius aliquid rationabiliter de-siderandum, hoc est, quando evidentiā credibi-

s. Chrysost.

Ne Baptis-mus, alia-que Sacra-menta fini suu fru-stentur

137.

Baptismus cum est quadam ex-terna fidei proficie-

Quo sepe potest ad aliquod tempus differri,

Licit fides interna statim obliget propria credibili-tatis motiva

Hojus enim
quali ma-
teria sunt
actus peni-
tentiæ jux-
ta Tert.

Necessariò
supponen-
tes pecca-
tum;

Circa quod
perficitur
ordo judi-
cialis;

Baptismus
respicit
peccatum
ut terminum
à quo,
si inest sub-
jeeto.

Ad illum
suscipien-
dum obli-
gatur adul-
tus;

Pro prima
oppor-tuni-
tate extra
mortis pe-
niten-
tialium;

sigill.

X X

credibilitatis determinat hominem ad iudicandum se peccatum, si huc & nunc dubitet de existentia revelationis.

Ratio in promptu est, tum quia prima veritas hoc instar homagii ac primitiarum seu primi tributi exigit; tum quia fides est cultus & reverentia, qua debetur auctorati divinae aliquid nobis proponenti & testificanti, sicut debetur cultus ac reverentia Regi nobis occurrenti. Vel sic: quia moraliter loquendo, quando in homine prius incredulo nulla amplius subest ratio dubitandi, fieri non potest ut talis merè negativè se habeat; sed, cum semper maneat proposta divina auctoritas revelans, illicè non credens, censetur id facere ex aliqua positiva discredentia, aut certè hæsitatione seu dubitatione circa objecta fidei, vel eorum veritatem, quod indubie repugnat præcepto fidei, quo obligamus non dubitare, minus discredere articulo à prima veritate revelato, & proposito cum evidentiā credibilitatis.

Nisi quis se habeat merè negativè
Ceteroquin si quis merè negativè se habeat, cogitans hoc modo: Ego volo eliceret actum fidei, quando tempus præcepti determinante aderit, neclam tamen volo isti eliendo incumbe, et si nolim discredere, an etiam dubitare: si, inquam, talis aliquis esset, non satis appareret, quare graviter obligaretur ad eliciendum actum fidei quoniam primum physicè loquendo; sicut homo perveniens ad usum rationis, non debet primo instanti, quo ei divina bonitas proponitur, elicere actum amoris, sed omnino sufficit, quod saltem non nimis diu differat. Idem ergo sufficit in præsenti.

139.
Respondere posset ex Lugone de Pœnitentia disp. 7. sc. 11. n. 233, negando consequentiam. Differentiam colligit ex ipsa conditione cultus & reverentiae, cuius præceptum affirmativum (de illo enim loquitur) nam negativum proculdubio obligat pro semper tum maximè videtur obligare, quando occurrit, aut loquitur nobis ille, qui coli debet, ipsaque dilator cultus, irreverentia quædam est. Porro cultus fidei tunc potissimum debetur, quando loquitur aliquis nobis, cui fidem oportet adhibere; pro illo quippe instanti fidem exigit, cum omnis locutio tendat ad hoc, ut eadem fiat mens & sensus utriusque. Amor autem non magis positivè debetur, quando præsens occurrit, qui amari debet, quoniam dum est absens. Sic filius, si patri venienti non assurgat, aut eidem aliquid asseveranti non credit, facit contra reverentiam patri debitam, quæ pro eo maximè tempore obligat: si tamen patrem non amat positivè,

Upōte cul-
tus debitus
auctorati
divinae

Quod fieri
posse qui-
dam afferit.

Contradi-
cente Lu-
gone;

Ex eo quod
fides inter-
na sit qui-
dam cultus:

quando ei præsens adest, non facit contra debitum amandi, si eum tempore debito diligat; neque enim amandi tempus illud magis est quoniam aliud, sicut colendi.

Sed, ut verum fatetur, haec non probant, nisi amorem diutius posse differri, quoniam fidem, hanc autem in ipso instanti physico, quo objectum est sufficenter credibile, debere elici minimè evincunt. Nam gratis concesso, fidem esse quendam cultum, & non potius actum virtutis à religione, certisque distinctæ, cujus honestas est adhærente Deo super omnia per intellectum; sicuti honestas amoris divini est adhærente Deo super omnia per voluntatem; illo, inquam, admisso, unde constat me debere quoniam primum physicè Regi occurrenti exhibere cultum v. g. genuflexionem, aut depositionem pilei? Quare non sufficiat, quod statim moraliter assurgam, aut genuflectam, aut pileum deponam?

Certè nemo circumstantium parvum moram irreverentiam interpretatur & existimabimus Deum tam rigidum extremitatem cultus sui, ut quilibet minimam physicam dilationem actus fidei, hominis aliqui parati ad credendum, reputare possumus sui in honorationem?

Confirmatur à simili; qui vovet religionem ingredi sine determinatione temporis, nequaquam tenetur quoniam primum physicè explice votum, licet scriptum sit Deuteronom. 23. vers. 21. Cum votum votum domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requires illud dominus Deus tuus; & si monatus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Et Eccl. 5. vers. 3. Si quid vorvis Deo, in latitudine moreris reddere. Sed sufficit adimplerit statim moraliter loquendo, id est, pro prima opportunitate; illaque requiritur, eò quod vi voti istius totam vitam suam, & vita tempus offerat & consecret ad illum statum.

Ergo similiter præceptum divinum a sumendi Religionem Christianam, obligat quoniam primum, id est, eius adimplerit diu sine justa causa differri non potest; tum quia Deus exigit, ut totum tempus vita nostræ ipsi suscrimus & consecremus ad statum Christianitatis; tum propter multa bona, que susceptionem Baptismi consequntur, ut sunt fructuosa receptione aliorum Sacramentorum, participatio iurium Ecclesiæ, & translatio hominis à statu damnationis ad statum filiorum Dei ac aeternæ salutis, quæ aliqui propter periculum subitanæ mortis, ut ex Sancto Chrysostomo audivimus, sepissimum evacuantur.

Nec obstat quod præceptum confitetur

Ratio quae
ze Penit-
tentiæ po-
tius possit
differri
quam Ba-
ptismus.

sionis non obligat statim post peccatum, sicutdem confessio non est spiritualis regeneratio, neque fundamentum Christianæ Religionis, minus janua Ecclesiæ, sicut Baptismus; sed solùm præcipitur ex sua institutione in remissionem peccatorum; quæ quidem necessaria est ad salutem; sed sufficiens haberi potest per Penitentiam virtutem; quamvis nec haec statim obliget post peccatum commissum, ut proprio loco videbimus, adstipulante communis præceptis & sensu fidelium; quæ tamen in præsenti confirmant nostram conclusionem; mirantur sicutdem & plerumque scandalizantur fideles, si videant quempiam sine justa causa diutius differre Baptismum.

143. Dico, diutius, quia quæcumque parva dilatio, etiam sine rationabili causa, non semper est peccatum mortale, sicuti nec dilatio adimplectionis voti, aut satisfactionis sacramentalis. Quando autem dilatio cœnatur notabilis, pendet à prudenti iudicio spectatis causis occurrentibus; quæ si rationabiles sint, nullum erit peccatum (ut factis probat communis sensus, & praxis fidelium timoratorum, nec non unanimis consensus Theologorum) aliquanto diutius juxta illarum exigentiam differre.

Quilibet
rationabili
nolum est
peccatum.

Ut constat
exemplo
sanctorum.

Qua in re potuerunt aliqui viri insignes (inter ceteros refertur SS. Sebastianus, Martinus, Nazianzenus, Ambrosius) ex bona fide excusari; sive quia needum se factis dignos novâ istâ vitâ sentiebant; sive quia dispositiones rerum temporalium, aliave impedimenta (etsi illa non sciamus) vel occultus aliquis effectus eos pro tunc retardabat, quamvis ex tunc insignes, & postea sancti fuerint; sive etiam quia dicta obligatio accelerandi Baptismum eos latebat, aut certè non factis apprehendebatur, sive quia dilatio non erat in re ipsa tam notabilis.

144. Si dixeris olim poterat differri Baptismus, etiam factis instructorum, imò debet extra periculum vita, usque ad tempus Paschæ aut Pentecostes. Respondent aliqui jam cessante hac lege, id non licere.

Rit. Rom. Sed non credo: quippe decet Baptismum adulorum, inquit Rit. Rom. Tit. de Baptismo §. de Baptismo adulorum, ex Apostolico instituto in Sabbatho Sancto Paschatis vel Pentecostes solemniter celebrari; quod etsi non obligat amplius, cur tamen non sit licitum, imò consultum servare?

Quod &
modo licet
tum & eis
in iustum,

Unde subiungit Rituale: Quare, si circa hec tempora Catechumeni sunt baptizandi, in

ipso dies, si nihil impedit, Baptismum differri convenit. Quæ est ultima pars conclusionis:

Ut autem ostendat non esse strictam obligationem continuo addit: Verum si circa aut post tempus Pentecostes aliqui conversi fuerint, qui agere ferant suum Baptisma in longum tempus differri, & ad illud festinare, instruiti, ac rite parati esse nesciantur, citius baptizari possunt.

Licit non
præceptum.

Ubi clare supponit posse differri, & esse consultum, si non agere ferant, nec ita festinare, esto sint satis instructi, juxta regulam generalem, quam præmisserat: Decet &c. à qua generali regula facit exceptionem, permittens non differri; si agere ferant &c.

Igitur dilatio ista ex mente Pontificis, vel non est nimia per se loquendo; vel saltem, quod verius existimo, fulcit ratio nobilis causa; tum ut si conformitas cum instituto Apostolico, tum ob rationem temporis specialiter ad hoc mysterium accommodati, scilicet passionis ac resurrectionis Christi, atque missionis Spiritus sancti per abundantiam gratiarum in Pentecoste; tum ob maiorem solemnitatem.

Alioquin sicut illi, qui dicunt præceptum penitentia, aut amoris Dei non obligare solum in articulo mortis; sed etiam aliquoties in vita, sic ut non possit nimium differri; docent tamen tempus illud non consistere in indivisibili; sed posse differri per unum, duos aut tres annos, sic forte dici posset, præceptum Baptismi obligare, ut non nimium differatur, euidem non fore nimium, etsi per duos aut tres annos differatur.

Nec video quid efficaciter objici possit præter communem sensum & præsum fideium, qui minus solliciti esse solent pro penitentia aut amore Dei, quam pro Baptismo. Omitto aliquibus parum probabile videri, penitentiam, aut amorem Dei non obligare ex jure divino intra duos aut tres annos, de quo alibi.

Dices; moraliter impossibile est hominem post Baptismum non peccare; ergo consultius est differre Baptismum usque in finem vitæ, ad recipiendam plenam omnium peccatorum remissionem quoad culpan & penam.

Respondeo, hanc utilitatem, accedente incertitudine, nullam debere reputari in consideratione illius, quæ sequitur ex susceptione Baptismi, ut consideranti facile patet ex dictis, postissimum cum & ipse Baptismus conferat gratiam habitualem & actualiem ad imposterum peccata vitanda.

X x 2 **Impono**

145.

Ex quo pa-
ter talem
dilationem
esse rationa-
bilem;

Imò fortè
longiorē

146.

Obiectio-

147.
Quinam
posint &
debeant
baptizari.

Impono finem huic Sectioni, & dico,
quod omnis & solus homo viator non ba-
ptizatus, qui corporaliter potest ablui, po-
test, & debet baptizari, nisi de quibusdam
aliter ex speciali Dei providentia fuerit or-
dinatum. Unde neque Angeli neque ho-
mines in termino constituti, aut creaturæ
inferiores baptizari possunt, minus debent:
Similiter Satyri, aut geniti ex femina &
bruto non sunt baptizandi: uti nec fetus
extinctus, aut nondum animatus animâ ra-
tionali.

Portò de monstris observetur Rit.
An inter illos compendium sit monstrum.
Rom. tit. de Sacramento Baptismi. §. de
Baptizandis parvulis ibi: Monstrum quod
humanam speciem non pre se ferat baptizari
non debet: de quo si dubium fuerit, baptizeur
sub hac conditione: Si tu es homo, ego te
baptizo &c. Illud r̄d, de quo dubium est,
unare aut plures sint persone, non baptizetur,

donec id discernatur. Discerni autem posse, si
habeat unum vel plura capita, unum vel plura
pectorata: tunc enim cotidem erant corda & ani-
ma, hominemq; distinxisti, & ex casu singuli cor-
sum sunt baptizandi, unicuique dicendo: Ego
te baptizo &c. Si vero periculum mortis im-
mineat, tempusq; non suppetat, ut singuli sepa-
ratim baptizentur, poterit minister singulorum
capitib; aquam infundens omnes simul bap-
tizare, dicendo: Ego vos baptizo &c.

Quando vero non est certum in monstro esse
duas personas, vel quia duo capita, & duos pe-
ctora non habet bene distincta, tunc debet pri-
mum unus absolute baptizari, & postea alter
si b. conditione hoc modo: Si non es baptizans
ego te baptizo &c.

Et hactenus de materia & forma Ba-
ptismi, de caulis subjectiva & finali; quid
luperet nisi causa efficiens? de hac ig-
tur erit

SECTIO QUINTA.

De Ministro Baptismi.

Baptismus ministratur vel solem-
niter cum ceremonijs ab Eccles-
ia præscriptis, vel privatum sine
illis; vel validè tantum, vel va-
lidè juxta ac liceit. Nec dubi-
tandum quin plures homines possint esse
ministri Baptismi privati, quam solemnis,
Baptismi validi tantum, quam validi juxta
ac liceit. Si autem à me queritur, quis sit
minister Baptismi privati, ciuitas Res-
pondeo:

CONCLUSIO I.

Quilibet homo viator ratione
utens validè semper, & in
necessitate liceit ministrat
Baptismum privatum, ser-
vato tamen ordine.

2. Et indubitate post decretum Eugenij
in Concilio Florentino, ubi de mini-
stro Baptismi sic inquit Pontifex: Minister
huius Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio
competit baptizare. In causa autem necessita-
tis, non solum Sacerdos vel Diaconus; sed etiam
laicus, & mulier, ino etiam paganus, & ha-
reticus baptizare potest, dummodo formam ser-
vit Ecclesia, & facere intendat quod facit Ec-

clesia. In qua definitione enumerantur om-
nes illi, de quibus potest esse aliqua dubi-
tatio, & aliquando sunt.

Nec obstat quod loquatur in casu necessi-
tatis quia agit de Baptismo lito. Porro ge-
neraliter Baptismum à quocumque collau-
sive in necessitate, sive extra valere, decer-
nitur in Cœilio Lateranensi sub Innoc. III.
& refertur. c. Firmiter de summa Trinitate
ibi: Sacramentum verò Baptismi... tam para-
meli... lu quād adultus in forma Ecclesia à quocumque
rit collatum, id est, cum intentione fi-
cienti quod facit Ecclesia, proficit ad salutem,

Et in particulari de hereticis idipsum
definit Trident. less 7. de Baptismo can. 4.
his verbis: Si quis dixerit Baptismum, qu-
etiam datur ab hereticis in nomine Patris, &
Fili, & Spiritus sancti, cum intentione facienda
quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismus;
anathema sit. Ubi nulla sit mentio necessi-
tatis.

Idem statuit de Iudeo Nicolaus I. ad
consulta Bulgarorum c. 104. Et refertur
de Consec. dist. 4. c. 24. A quadam, in-
quit, Iudeo nō citius, utrum Christiano, an Pe-
gano, multos in patria vestra baptizatos affer-
rit, & quid de yis sit agendum consultis. Hi
profetâ si in nomine Sancte Trinitatis, videntur
in nomine Christi, scit in Actibus Aposto-
rum legimus baptizati sunt. ... confitat eos non
esse denū baptizandos. Quis autem nesciat
modo occurtere casum necessitatis? Quo-

Quid sit mi-
nister Ba-
ptismi re-
solvitur ex
Concilio
Florentino.